

inferior, qui Conrectori parebat, palliatus ventitabat, sed misere vexabatur a coetu superiore eoque numerosiore. Superiores enim, quibus pallia invisa erant, comprehensis laciniis inferiores ab uno angulo in alterum trahere, iis contumeliose illudere, hi palliorum sanctitatem frustra defendere, fortunam lamentare, fissuras conqueri, Conrectoris auxilium implorare, Rectoris animus nullis querelis moveri. Haec res occasionem aliquando dedit Rectori accusandi coram collegio scholarchali Conrectorem. Nam quum apud Neudorfium Conrectorem discipulus primae classis pallium suum deposuisset isque clementer et amice eum admoneret, ne id faceret, et risus et cachinnus oboriretur, postridie (erat enim sub finem praelectionis) Conrector ex discipulo quaesivit, quinam istius cachinni auctores fuerint. Tum ille ab aliis excitatus proterve admodum respondit, patrem sibi interdixisse ullius nomen deferre. Quum pertinacia et impudentia iuvenis Neudorfii ira concitata esset, extraxit, quem sub pallio occultabat, baculum, eius tergum paululum depexurus. Quo conspecto ille aufugere, ianuam petere, alius eam occludere. Tum is, nullam elabendi viam cernens aliam, per fenestram desiluit et imminens periculum evasit. Tum Rector collegam crudelem tyrannum nuncupare, qui nimia severitate iuvenes cogeret vel vitae discrimine plagosi Orbili i ram declinare. Discipulus autem